

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||  
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

**Joachim <von Fiore>**

**Venetiis, 1589**

Oracvli tvrcici declaratio

[urn:nbn:de:bsz:31-241469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241469)

ORACVLI TVRCICI  
DECLARATIO.



**V**IGO nota historia fertur, quæ ad huius oraculi explicandam obscuritatem primas partes tener, eiusmodi illa est. Mehemeti Secūdo Othomanorum Principū sæuissimo, Christianorumque hosti immitissimo Constantinopolitanam urbem obsidenti, nocte præclarissimæ urbis, & deplorandi imperij exitium præcedente tale oblatum fuit somnium. Videbatur huic dormienti tentorium patulum hinc inde fieri, cælum aperiri, ex eoque descendere senem uenerabili aspectu, reuerenda facie, augustiori habitu, quàm humano, & excelsiori statu corporis. Simulque ex cælo annulus demittebatur, filo appensus, quem senex apprehensa Mehemetis dextera manu, septies per omnes digitos circumduxit, hoc ordine. Prima uice maximum se percipere gaudium sentiebat Mehemeres, qui secunda, tertia, & sequentibus usque ad septimam iuxta mutationis modum imminuebatur, idque etiam ipso dolente, & dolore, quoties mutabatur annulus, crescente. Tandem ad septimam in cælum sublatus est annulus, & illico senex euauit, tanto Mehemetis dolore, ut ingentem emiseric clamorem, ad quem Eunuchi iuxta morem gentis tentorium, & lectum Principis custodientes accurrere. Hi que ipsius iussu ad illum, quos Visiros, Bassas, Bellerbeios dicunt, cæterosque consiliarios conuocant, narrat somniū, exsurgit à Christi fide Apostata Magnus Visir, de Constantinopoli capienda interpretatur, incitat homi-

L 2 nem,

ORACVLI TVRCICI

nem, mos geritur, vrbsque capitur. Hanc verò hoc oraculo intelligi deprehendent curiosi, si septem septies multiplici numeratione efferentes Caroli Octavi tempore notabunt. Quibus fama erat Gallum Regem victorem in Græciam contra Turcas traiecturum, & hac de causa Roma in Galliam Turcarum Principis fratrem, qui Romæ in custodia asseruabatur, duxit, ut eo duce, & fautore contra Turcas vteretur. Quo Rege mortuo, & Turcarum terror desijt, & Christianorum spes lapsa est. Ex eoq; semper Turcici Principes Gallorum Regis amicitiam coluere; cum etiamnum persuasum habeant ex Gallico regno sibi cladem impendere. Sic autem præsentis oraculi in septimo anno dubietas sepulta hucusq; iacuit, & ad hæc tempora iacet, quibus à Constantinopoli capta duodecimi numeri duodecies in se circumducti explicationis finis instat. Nec mirum cuiquam sit, Turcæ omnes, & omnes orientales Aegyptij præsertim, & Syri in nonagesimum secundum annum Orthodoxæ familiæ fata reseruant. Quod Solimano quoque ab Arabe prædictum, Clarissimus Vir Stephanus Theopulus, dum Constantinopoli pro Augustissima Veneta Republica legatum apud ipsum Solimanum ageret, disertissimis verbis se præsentem aiebat, stupete, & rem futuram constanter credente Turcarum Principe. Cui coniungere possemus, quæ de arbore Turcica quindecim ramorum vulgò circumferuntur; verum hæc, & alia modò reticenda sunt, aliàs verius daturi. Equidem aptissimus hic locus esset, in quo numerorum in diuinatione hac potestatem demonstraremus, & quàm cõueniat illi Philosophorum Arabum opinioni asserentium omnes generationes, mutationesque, species rerum naturalium, & earum, quæ supra naturam sunt, certis numeris distingui, & per eos earum effectus cognosci; quibus veteres Theologi omnes, & Cabalistæ subscibunt. Colligiturque simul ex scriptis Origenis, Hieronymi, Augustini, Hilarij, Basilij, Gregorij Nissenij, Rabanique

DECLARATIO.

nique numerorū vim permaximam esse. In rerumque vni-  
 uersitate constituenda septenarium numerum primas tu-  
 lisse fatentur cuncti, & sapientes in Duodenario Christia-  
 nismi firmitatē & innouationem esse censent, quod in eius  
 cubo, & superficie explorant, dum M.DCC.XXVIII. ex tota  
 eius perfectione cōstituunt, & id aliud non est, quàm cūm  
 duodenarium, qui primus fœcunditatis numerus duobus  
 senarijs componitur, priorque perfectionis numerus exi-  
 stit, duodecies, ad duodecies vsque in sua superficie, & cu-  
 bo reuoluimus, & inde superiorem numerum conficimus.  
 Quo in numero & Picus Mirādulanus sæculi durationem  
 statuit, nos verò Christianæ religionis amplificationē, &  
 reliquiarum Israelis salutem ponimus. Veteri, & recon-  
 ditæ harum rerum scientiæ per traditionem hucusque re-  
 monstratæ adhærentes, & Intelligentiarum Vniuersum re-  
 gentium cursum, & temporum spacium magnificentes,  
 quæ ita nos radijs sui splendoris illuminent, vt purioribus  
 studijs, & sanctioribus sacrarum literarū obsequijs Deum  
 Opt. Max. dignè colamus, nobis placemus, & ritè cogno-  
 scere, contemplari, & possidere valeamus.



ANNO-